bit, ut fax fulgentiſſima, ut ſol meridianus, nec poterit hæc lux ullâ conteri vi, ullâ extingui hoſtili potentiâ: *Donec ponat in terra judicium.* Matt. c. 12. 18. legit: *Donec ejiciat ad victoriam judicium.* Quod Procopius & alii ſic explicant: *Donec extendat Evangelium, promulget, & prolatet ad victoriam, ut vincat toto orbe.* S. Ambr. in Pſ. 45. *Donec ponat Evangelium in victoriam de principe tenebrarum.* Propterea ſubdit de converſione Gentium: *Legem enim Inſulæ expectabunt:* vel, juxta LXX. *in nomine ejus Gentes ſperabunt.* Appellat *Inſulas* remotiſſimas quaſque Gentes, quia Inſulæ à continente remotæ ſunt, ſicut Poëta dixit: *Et toto diviſos orbe Britannos.* Et Iſai. 66. 19. *Mittam ad Inſulas longè ad eos, qui non audierunt de me.* Ecce tibi quomodo reſplenduerit Chriſtus ut ſol meridianus, & illuminaverit omnes Gentes quantumvis longè diſſitas; luce nempe Evangelii ſplendidiſſimâ quoquoverſus diffusâ in victoriam de ipſo Principe tenebrarum. Et eódem ſpectant illa ejuſdem Vatis verba cap. 49. 6. *Ecce dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.*

Matth. 12. 18.
S. Ambr.
Iſai. 66. 19.
Iſai. 49. 9.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Deipara Virgine.

SECTIO X.

Magnum quoque Deigenitricis negotium eſt, Nationes omnes illuminare Evangelicæ doctrinæ luce.

2390 DEdimus pro hoc argumento non pauca enucleantes v. 6. in textus illuſtratione pro Deipara; & prementes verſ. 40. & 41. ubi de Evangelicæ doctrinæ fluxu per Deiparam: quibus nonnulla hîc ſubjungenda.

Etenim, verè ipſa de ſe ait beatiſſima Virgo: *Doctrinam quaſi antelucanum illumino omnibus.* Id eſt, claram & perſpicuam omnibus exhibeo. *Narrabo illam uſque ad longinquum:* id eſt, in multum tempus illuſtro eam; vel relinquam eam in generationes multas; vel etiam illam manifeſtam faciam uſque ad terminos orbis terrarum. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Omnia loca luce ſuâ penetrat; omnes, quicumque illi ſint, excitat & illuminat; ubique & omnibus divinum Evangelicæ prædicationis jubar adeſſe vult, & diffundit. O immenſa propemodum Mariæ beneficentia!

Luna Maria ſymbolum, per quam Solis juſtitiæ doctrina nos illuminat.
Venetus.

2391 Statuimus, à Chriſto, uti à meridiano miſericordiæ Sole, omnem Evangelicæ doctrinæ lucem in omnes mundi plagas ubertim diffundi. Certè, ſatis vulgare eſt, ſicut Solem Chriſti, ita & lunam Mariæ eſſe ſymbolum. Obſerva modò cum Georgio Veneto in ſua Harm. Cant. 1. Tom. 4. cap. 38. *Luna ſol alter non incongruè dicitur, quia ea, quæ ſol ſuperius vi maſculina generat, hæc ipſius, & aliorum etiam planetarum fœtum ſuſcipiens inferiori mundo ſibi vicino edit: ideò ejus motus præ cæteris obſervatur, quaſi omnium conceptum parientis.* Quid ſubinde? Jam vides. Evangelii lux totum orbem illuminans à Chriſto exoritur, ut à Phœbo ſplendidiſſimo, & primo luminis fonte: cæterùm, non niſi per Mariam ad nos derivatur, cùm ipſa ſit plena Solis Luna, ac veluti alter Sol, Phœbe quaſi Phœbi, id eſt, Solis ſoror, Solis æmula, quæ omnem doctrinæ Evangelicæ lucem haurit à Chriſto, & illam in omnes diffundit. *Hæc enim eſt voluntas Domini* (ait Bernardus Serm. de Nativit. Mar.) *qui totum nos habere voluit per Mariam.* Egregiè S. Bonav. in Speculo Virg. cap. 7. *Lunæ plenæ Maria benè comparata eſt, quæ lumine ſapientiæ & veritatis à Sole æterno plenè illuminata. Et quanto plenior fuit dum hunc Solem concepit, & tam totaliter in ſe recepit? Benè ergo plena dicitur Maria illuminatione ſapientiæ.*

Abac. 3. 11.

Reor hùc ſpectaſſe Abacuc c. 3. 11. cùm arcanè dixit: *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo; in luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Celebrat eo Cantico Evangelicæ expeditionis glorias, triumphos Apoſtolorum, virorumque Apoſtolicorum, de idololatria reportatos; cum reſpectu ad victoriam, quam Joſue tulit de quinque Regibus Amorrhæorum, perſtantibus interim immotis Sole & Luna: *Steteruntque Sol, & Luna.* Solis nomine appellat Chriſtum, Lunæ vocabulo Mariam, de Apoſtolis ait *ituros in luce ſagittarum, & ſplendore fulgurantis haſtæ,* id eſt, in ſplendore & luce prædicationis Evangelicæ juxta illud Marci 16. 15. *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Profectò hæc lux, & ſplendor non niſi à myſtico illo Sole, myſticaque luna; à Chriſto nempe, & Deipara, enaſcuntur ad Gentium illuminationem: ideò dicuntur ſtetiſſe in habitaculo ſuo, quaſi ſuppetias pugnantibus Apoſtolis miniſtrantes, & cum illis ipſi pugnantes luce fulgurantis doctrinæ. Ut enim S. Bonaventura in Canticis Deiparæ, cui Abacuc canticum piè adſcribit: *Operuit cælos gloria tua, & miſericordiâ tuâ plena eſt terra. Egreſſa eſt Virgo in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. O benedicta, in manibus tuis eſt repoſita noſtra ſalus.*

Joſ. 10. 13.
Marc. 16. 15.
Myſticus ſol Chriſtus & myſtica luna Maria Orbem illuminarunt per Apoſtolorum prædicationem.
S. Bonav.

Cant. 7. 2.

2392 Cant. 7. 2. de Virgineo Mariæ utero illud habes: *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Pro *tornatilis* Hebraicè eſt *Sahar,* quod deductum eſt à Luna, cùm eſt rotunda & plena: unde vertas cum multis: *Crater tornatilis inſtar lunæ plenæ.* Rabbi Abenezra explicat: *Baltheus eſt in umbilico ejus, in quo ineſt ſpecies lunæ quatenus plena eſt.* Chaldæus autem de Chriſto videtur explicare intra Virginis uterum; & de illo ait: *Splendidus eſt in lege ſicut circulus lunæ, & non deficiunt verba legis unquam ab ore ejus.* Cæterùm, Ambroſiſius luculentiſſimè lib. de Inſtitut. Virg. cap. 14. *Verè,* inquit, *albus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat Sapientia, quæ miſcuit in cratere vinum ſuum, indeficientem cognitionis ſuæ gratiam divinitatis ſuæ plenitudine ſubminiſtrans.* Incarnata Sapientia Chriſtus Dominus Mariæ inviſceratus ad inſtar circuli Solis

סחר
R. Abenez.
Chaldæ.
S. Amb.
Maria Chriſtianam Sapientiam hauſit pleniſſimè.

ut ad nos derivaret abundè.

lis ſplendidus erat: jam inde doctrinæ Evangelicæ jubar diffundens ſplendidiſſimum: non ei verba legis deficiebant, quin verba ſuppeditabat nitida & clara. Sed non niſi per Mariam, quæ incircumſcriptum & immenſum ſolem quodammodo circumſcribebat & comprehendebat. Quid mirum, ſplendida ipſa eſſet, & lucida inſtar lunæ plenæ ac perfectæ? Ipſa certè ipſius ſolis lucem, Chriſtianam nempe Sapientiam, & Evangelicam doctrinam hauſit pleniſſimè, ut ab illa ad omnes Mundi nationes diffunderetur. Clamemus cum Methodio in Hypopantem Domini: *Tu fidelium fax, tu incircumſcripti (ſi ita loqui fas eſt) circumſcriptio.* Fax quidem, à qua, & per quam, ut quæ ipſam Dei Sapientiam continuerit, omnis doctrinæ Evangelicæ lux univerſo ſpargitur orbi.

Deipara fidelium fax.
S. Method.

Prov. 9.
LXX.

2393 Præclarum eſt Deiparæ opus illud Prov. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem: miſcuit vinum, propoſuit menſam ſuam.* LXX. vertunt: *Miſcuit in cratere vinum ſuum.* ut appareat, dicta hæc à Salomone cum intuitu ad Canticorum verba, ſeu craterem ſplendidum inſtar lunæ plenæ. Atqui *Sapientiæ,* vel, ut in Hebræo eſt, *Sapientiarum* nomine Chriſtus, & Deipara indigitantur, qui ſibi Eccleſiam orthodoxam ædificarunt, adductis undique Nationibus; *columnas ſeptem* exciderunt, id eſt, Doctorum, & Prædicatorum univerſitatem, quibus Eccleſia fulcitur. *Menſam ſuam* propoſuerunt, id eſt, ſacram Scripturam, & doctrinam Evangelicam in ea contentam. Verùm illud ſignatim premas: *Miſcuit in cratere vinum ſuum.* De vino ſermo eſt generoſo, & forti, aquâ contemperato, quod potanti prodeſt, nec caput ferit, nec hepar accendit; nec bilem acuit. Solet hoc ad Chriſti divinitatem humanitate noſtrâ temperatam referri. S. Gregorius 33. Moral. cap. 15. *Vinum miſcuit; quia divinitatis, & humanitatis ſuæ nobis pariter arcana prædicavit.* De effuſa Sapientia per Apoſtolorum prædicationem explicat S. Hieronymus in cap. 2. Eccleſiaſtæ: *Per Apoſtolos in minora κυλικια, ſcyphos parvulos & crateres in toto orbe credentibus effuſa ſapientia eſt.* Dicam breviter hiſce inſiſtens veſtigiis. Vetus Dei doctrina, vetus meræ divinitatis lex vinum erat merum, generoſum, ſed forte admodùm, quod non multùm proderat potantibus: *Quia magis erat obligatoria, quàm utilis,* ut obſervat Abulenſis in 2. Paral. cap. 2. quæſt. 13. Bilem acuebat; ut enim Philippus Abbas lib. 1. in Cantica cap. 7. *In lege quædam vini auſteritas, quæ operatur iram, gratiam non largitur.* At verò lex gratiæ, nova Chriſti Dei hominis doctrina ubi veteri acceſſit, quaſi miſtio aquæ cum vino extitit, quæ omnem illam veteris legis auſteritatem contemperavit ad omnium Gentium ſalutem. Certè hæc miſtio facta per Deiparam fuit, vel ab eo tempore, quo in ſuo utero, quaſi in cratere nitidiſſimo, meram æternæ Sapientiæ divinitatem humanitate mediâ temperavit: *Miſcuit in cratere vinum ſuum.* Crater quidem tornatilis, ad inſtar lunæ plenæ ſplendidus; crater *non indigens poculis.* Vel, ut LXX. legunt, *non deficiens miſto,* id eſt, vino temperato, & probè diluto, doctrinâ nempe veteri cum Evangelio temperatâ. Ab hoc igitur cratere eximio in minores ſcyphos, & parvulus crateres effunditur Evangelicæ doctrinæ miſtum: ab hoc lunæ circulo ſplendidiſſimo ſpargitur Chriſtianæ Sapientiæ & prædicationis Lux, quæ illuminat omnem hominem.

Et Deum, & veterem doctrinam temperavit Deipara ad Gentium ſalutem.
S. Greg.
S. Hieron.
Abulen.
Philipp. Abbas.

Cant. 4. 4.
Maria totius Evangelicæ Doctrinæ repoſitorium.

2394 Hùc revoca illud Cant. 4. 4. ubi de Deipara Virgine: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Poteſt verti variè ex Hebræo & Græco: *Quæ ædificata eſt cum pinnis,* ſeu *ſphæris collucentibus,* quibus turres nocturno tempore ſolebant coronari, ut longè lateque illuminarent. R. David in lib. radicum vertit: *Quæ ædificata eſt cum elevatis linguarum ſimilitudinibus.* Marinus in Lexico: *cum cumulo orum.* Quò verò ſpectent iſtiuſmodi linguæ & ora collucentia, explicatur vulgari tranſlatione illa: *Quæ conſtructa eſt ad docendum, ad diſciplinas, ad doctrinas.* Tigurina verò: *ad uſum dirigendi homines:* quia Turris illa Davidica in arce Sion ædificata, ceu Pharus navigantibus portum, viam pergentibus in urbem oſtenderet. Talis eſt Deipara Maria ad ſummam Matris Dei celſitudinem evecta; totius nempe Evangelicæ doctrinæ repoſitorium; unde ſplendidæ linguæ, unde collucentia ora, unde verba Evangelica ad Evangelicam illuminationem abundè proveniunt.

R. David.

2395 Ut Perſarum Reges attraheret Deus, Chriſtum recèns natum adoraturos, præfulgentis immiſſæ ſtellæ miniſterio eos advocavit. *Vidimus ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.* Matt. 2. Stellam viderunt, imò ſtellam audierunt, quia *Lingua erat cælorum,* & *Chriſtum prædicabat,* ut ſuprà aiebat S. Auguſt. S. Petr. Dam. & S. Chryſoſtomus num. 2380. Sed quæ hæc ſtella? S. Bonaventura in Speculo cap. 3. reſpondet Mariam commendans ab interpretatione nominis Mariani, quæ *Illuminatrix* eſt: *ipſa eſt ſtella illa clariſſimè fulgens, tres Magos ad Chriſtum rectiſſimè ducens.* Atque hùc credas ſpectaſſe illud Balaam vaticinium Num. 24. 16. *Orietur Stella ex Jacob:* quod de ſtella Magos Balaam poſteros vel ſucceſſores ad Chriſtum advocante & adducente, multi Eccleſiæ Patres interpretantur. At S. Bernardus Hom. 2. ſuper *Miſſus eſt,* quem ſequitur S. Bonav. loco proximè relato, rem arcaniùs enucleans putat, prædici illis verbis Deiparam: *Ipſa eſt nobilis illa ſtella ex Jacob orta.* Oritura dicitur hæc ſtella; *orietur ſtella.* Hebraicè eſt *darach,* id eſt, *incedet, viam calcabit, præibit;* non ob id ſolùm quòd Mariæ ductu, & ipſa quaſi cæli lingua prædicante, Magi Principes vocati & adducti fuerint; ſed etiam quia Gentibus præitura erat univerſis, quos ipſa uti cælorum lingua fulgentiſſima illuminat Evangelicæ doctrinæ luce, ductat, dirigit, & inducit in viam, quà rectà itur ad Chriſtum. Ut enim Bernardus ſubtexit præclariſſimè. *Ipſa eſt ſtella ex Jacob, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor in ſupernis præfulget & inferos penetrat &c. Ipſam ſequens non devias, ipſâ propitiâ pervenis.*

Matt. 2.
S. Auguſt.
S. Chryſ.
S. Dam.
Stella quæ Magos illuminavit.
S. Bonav.
Num. 24.
דרך
Gentilem populum illuminavit, ductavit.

Apoc. 12.

2396 Illâ Apocalypticâ Heroinâ ſole amictâ, ſtellis coronatâ, lunæ innixâ ſplendenti, & Aquilinis alis in deſertum advolante, Eccleſiam primitivam deſignari, quæ ad deſertam

tam tranſiit Gentilitatem Gentiles illuminatura Evangelicæ prædicationis luce, putat argutè, & nervosè probat Alcazar noſter Apoc. 12. Ei accino libenter: ſed non negabit, quæ de Eccleſia dicuntur, ſatis congruè & exactè in Deiparam cadere, ad cujus exemplar ſi componatur Eccleſia, perfecta erit. Igitur Virgo Mater eſt, quæ tota luminoſa, tota Evangelicæ doctrinæ ſymbolis, Sole, luna & ſtellis circumamicta ad Gentiles advolavit, eos illuminatura Evangelii luce. Hoc certè magnum Deigenitricis negotium fuit, etſi Apoſtolorum prædicatione id peregerit. Unde illa Virginis vox Cant. 7. 11. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Quaſi dicat, ait Guilielmus Abbas Beccenſis: *Exeamus in mundum univerſum, & prædicetur Evangelium omni creaturæ.* Cæterùm, quid quæſo eſt, quod ad illam omnium Gentium illuminationem, Sole, Luna & ſtellis circumveſtiatur Deipara? Nonne ſat erat vel ad inſtar Solis, vel lunæ in morem, vel quaſi fulgentiſſima ſidera circumfulgere? Accipe pulchrum ſapientiſſimi Idiotæ reſponſum ad rem perſimilem, in lib. de laud. Virg. c. 1. & 2. *Neque ſol perpetuò nobis ſplendet, cùm contraria viciſſitudine nox diei ſuccedat: nec ſemper luna orbem illuſtrat, cùm cælorum converſione noſter hic mundus certo temporis ſpatio tenebris obvolvatur. Maria verò & ſole, & luna, & aſtris illuſtrior ſuo lumine, nulla ſui commutatione aut viciſſitudine, complet & ambit omnia, flammis luſtrat, luce veſtit.* Ecce tibi, cur Maria ſole, lunâ & ſtellis circumamicta appareat; ut oſtendat, perpetuò hominibus ſplendidè prælucere, ſemper orbem illuſtrare, & Evangelicæ totius doctrinæ vario ac multiplici lumine, ac luce indeficiente omnia complere, ambire, luſtrare, veſtire.

Deipara tota luminoſa, & Evangelica doctrinæ ſymbolis amicta ad orbis illuminationem.

Cant. 7. 11.

Guilielm.

Perpetuò hominibus prælucet, ſemper illuminat diu, noctuque. Idiota.

Verſ. 46. *Adhuc doctrinam quaſi Prophetiam effundam; & relinquam illam quærentibus ſapientiam; & non deſinam in progenies illorum uſque in ævum ſanctum.*

ARGUMENTUM.

Evangelicæ doctrinæ perennitas.

NEquis falsò exiſtimaret, Chriſtianam Sapientiam vel temporis decurſu omnia facilè abſumentis, vel Tyrannorum malitiâ quandoque hominibus abfuturam; veriſſimè ac ſeriò promittunt Jeſus & Maria, fore certò in Eccleſia orthodoxa perennandam Evangelicam doctrinam uſque ad mundi exitum, ea planè certitudine, virtute, & ſoliditate, quæ ingenita illi eſt, ita ut præſtò ſit ſemper & ubique cuivis eam exquirenti.

TEXTUS ENODATIO.

Tigur. 2397 TIgurina ita legit: *Etiamnum effundo doctrinam ut oraculum, perque ſæculorum ætates emitto eam quærentibus.*
Græca. Græca verò ſic habent: *Adhuc doctrinam ut Prophetiam effundam, & relinquam ipſam in generationes ſæculorum.*
Syrus. Syrus, *Et relinquam illam in generationes multas.* Complutenſes, & Druſius pro *adhuc* legunt *quoniam*, vel *nam*; ut ſit cauſalis particula præcedentium verborum: *enarrabo illam in longinquum.*
Camer. Joachimus Camerarius effert: *Mea doctrina effundit Prophetiam, quæ manet in æternum.*

2398 Etſi Lyranus & Janſenius arbitrentur, poſſe hæc verba accipi quaſi à Siracide efformata, poſt interlocutionem Incarnatæ Sapientiæ hucuſque à ſe inductam; illis nequaquam aſſentiendum reor, ſed omnino aſſerendum, verba adhuc eſſe ipſiuſmet corporatæ Sapientiæ, ac Deiparæ Virginis, qui proximè antelapſos Verſiculos dilucidiùs explicant. Atque ita jure optimo ſentiunt Fuldenſis Abbas, & Palacius. Eos audi. *Inſinuat* (ait Rabanus) *ſcriptor hiſtoriæ hac ſententia, quòd myſticus iſte liber ſit, & ſpiritualem quærat intelligentiam, & quòd valdè utilis ſit ad legendum, quia juxta hiſtoriam moralitatem docet, ac juxta allegoriam, fidei imbuit ſacramento. Et non deſinam in progenies illorum uſque ad ævum ſanctum: quoniam non ceſſat S. Scriptura ab ævo uſque in ævum docere genus humanum, quatenus intelligat ex præceptis Dei quid vitare debeat, quidvè agere. Ut nemo ſit, qui ritè ſe poſſit excuſare, quaſi neſcierit quid præceptum ſit in lege divina, cùm Sapientia viam veritatis, & normam juſtitiæ palàm omnibus demonſtrat.* Luculenter verò Palacius, ita: *Videor mihi audire Chriſtum dicentem:* Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. *Non igitur ceſſabit unquam prædicatio Evangelii exterius, & prædicatio Chriſti interius uſque ad ævum ſanctum, id eſt æternitatem. Nota, doctrinam Evangelicam paris eſſe auctoritatis cum Prophetia, ideò ait:* Doctrinam quaſi Prophetiam: *utraque enim ab Spiritu ſancto immediatè proceſſit; nam* Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Sancti homines. *Nota 2. verbum illud,* quærentibus ſapientiam. *Si igitur Julianus Apoſtata, & alii non habent Evangelium ut Prophetiam, cauſa eſt, quia non quærunt illi veram Sapientiam; nam eam quærentibus Evangelium ut Prophetia eſt. Nota 3. Mundum hunc non vocari ævum ſanctum, quia* totus mundus in maligno poſitus eſt. *At æternitas beata, in qua* nihil coinquinatum ingreditur, *ævum ſanctum eſt.*

Senſus verborum.

Rabanus.

Palacius.

2. Pet. 1. 21.

1. Joan. 5. Apoc. 2. 1.

2399 Seorſim ſingulas ſententias breviter enucleo. In primis ait: *Adhuc doctrinam quaſi Prophetiam, vel oraculum effundam.* Cùm Prophetia ſit divina inſpiratio, vel revelatio, eventus certâ & immobili veritate

prævidens & prænuntians; Incarnata Sapientia Evangelicam ſuam doctrinam *quaſi Prophetiam* appellat, quia certa, ſolida, & immobilis veritatis, non humano excogitata ingenio, ſed divinitùs revelata. Nam inter alias Prophetiæ acceptiones, una eſt, ex afflatu Spiritus ſancti docere & exhortari ad pietatem. In quo ſenſu Paulus dixit 1. Corint. 14.
1. Corint. 14. 1. 1. *Magis autem ut prophetetis*: de illis loquitur, qui ab Spiritu ſancto agebantur, & revelationes doctrinæ vel exhortationis accipiebant, quod tunc frequens erat, ut Interpretes ſacri obſervant. *Effundam*, dixit, perſtans in eadem perennis fluminis, ſeu fontis metaphora: *fons enim eſt* Chriſtiana Sapientia in ſacris Scripturis contenta, *fons nunquam deficiens*, ut loquitur S. Chryſoſt. Hom. 4. de Lazaro.

S. Chryſ.

2400 Ideò ſubdit: *Relinquam illam quærentibus Sapientiam.* Nam Incarnatæ Sapientiæ doctrina relicta eſt in litteris inſpiratis, in novo & veteri teſtamento, veræ ſapientiæ ſtudioſis. *Significat* (ait Janſenius) *ſe eam ſcripto relicturum poſteris, ut in perpetuum ab eis legi, & audiri poſſit, qui ſtudioſi ſunt Sapientiæ.* Hæc verò doctrina litteris conſignata divinis, imò & ore evulgata Apoſtolico, nunquam deerit in Eccleſia catholica. *Et non deſinam*, hoc eſt, interprete Janſenio, perſeverabo ſemper, per ſcriptam à me doctrinam, *in progenies illorum*, qui quærunt ſapientiam, *uſque ad ævum ſanctum*, hoc eſt, uſque in ſæculum futurum. Similiter Lyranus: *Et non deſinam eos inſtruere per ſcripturam, uſque ad ſæculum futurum*: tunc enim illud
Jer. 31. 34. adimplebitur Jeremiæ cap. 31. 34. *Non docebit vir ultrà proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me, ait Dominus.* In cælo nemo alium docebit, quia omnes omnia videbunt in Deo. Sic Jeremiam interpretatur S. Auguſtinus de Spiritu, & Littera c. 24.

Janſen.

Lyranus.

2401 Obſervo tamen, poſſe illam particulam, *uſque*, ſumi uti alias ſimiles, ut non ſemper affirmationem poſt tempus, quod notatur, ſi negatio præceſſit; nec ſemper negationem, cùm præceſſit affirmatio, ſignificent.
Pſal. 109. 1. Pſ. 109. 1. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*: non ſignificatur poſteà non ſeſſurum, ſed multò magis ſeſſurum, quia nullos habebit amplius
Mat. 28. 20. inimicos. Matt. 28. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*: non indicat poſteà cum illis non futurum, ſed multò magis futurum. Matt. 1. 25. dicitur de Joſepho:
Et c. 1. 25. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit*: ubi non ſignificat Joſephum poſteà cognoviſſe eam, ſed neque eam poſteà cognoviſſe. Id exprimitur, quod eſt dubium; id tacetur, quod eſt certum. Sic in noſtro caſu duratura lex Evangelica, Chriſtianaque doctrina dicitur, *uſque ad ævum ſanctum*, non quia eo adveniente, abolebitur, ſed notatur tempus, in quo oppugnari & expugnari ab adverſariis poterat, perſpectâ præſentis temporis conditione. Qua verò ratione æterna futura ſit Evangelica lex, & doctrina, explicat S. Hieronymus infrà citandus. *Verum eſt quidem, quòd librorum pelliculæ cum ipſis litteris abolendæ ſunt, ſed quia ſubjungit Dominus*: Verba autẽ mea non præteribunt, *procul dubio quod eiſdem apicibus pollicetur, erit æternum.*

Qua ratione doctrina Evangelica futura ſit æterna.

S. Hieron.

P. Ildeph. de Flores in Eccleſ.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Chriſto, ac Deipara.

SECTIO XI.

Evangelica novæ Legis doctrina perennis, immutabilis, ſtabilis, & inconcuſſa manebit per Jeſum, & Jeſuparam.

2402 HUc indubiè ſpectant verba quæ verſamus, juxta proximè datam enodationem argumento comprehenſam noſtro: una enim ex præcipuis Chriſtianæ Legis, & Evangelicæ doctrinæ dotibus eſt ejus perennitas & immutabilitas; durabit, perennabit adversùs temporis injuriam omnia abſumentis, & Tyrannorum, Hæreticorumque rabiem, qui illam oppugnant, & expugnare moliuntur. Quid mirum, ſi hoc unum eſt præcipuum Chriſti ac Deiparæ opus, in quod omnis eorum videtur deſudare cura & induſtria? *Adhuc doctrinam quaſi Prophetiã effundam, & relinquam illam quærentibus ſapientiã: & non deſinam in progenies illorũ uſque in ævum ſanctum.* Rem totam illuſtremus.

2403 Celebrat frequenter hanc Evangelicæ legis & doctrinæ perennitatem & ſtabilitatem Regius Vates, Pſ. 118. 89. *In æternum, Domine, Verbum tuum permanet in cælo.* De Evangelico Verbo ſermo eſt; propterea his verbis præfixit litteram *Lamed*, quaſi intelligentiæ clavem; ſignificat enim *diſciplinam, doctrinam veluti clavo confixam*, quæ hæreat fortiter, & immobiliter. Ex Hebræo & Chaldæo vertas: *In æternum ſtat firmiter verbum tuum.* In cælo, ſive in cœlis dicitur permanſurum. Quid hoc? Certè, cùm Eccleſia in Scripturis ſanctis, & à Patribus *cælum* ſæpè appelletur, perinde erit, durare & perennare Verbum Dei in cælo, atque in Orthodoxa Eccleſia doctrinam Evangelicam. De Eccleſia id habes Matt. 16. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quod ſic explicabis cum Chryſoſtomo to. 5. Hom. de expulſione ſua. *Chriſti Eccleſiâ nihil fortius; ſi quis eam impugnare proponit, vires atterat neceſſe eſt: tale eſt enim velut ſi cælo bellum meditetur inferre.* Quis ergo fundatam in cælo arcem valeat demoliri? Et quis Evangelicam doctrinam in Eccleſia, uti in cælis, fundatam poterit labefactare? Perennis illa eſt, immutabilis, & inconcuſſa.

Pſ. 118. 89.

Evangelica doctrina in Eccleſia, uti in cælo indeficiente, fundata perennè.

S. Chryſoſt.

2404 Si verò *in cælo*, vel *in cælis*, id eſt, in ſacris litteris, doctrinam Evangelicam permanſuram explices, tibi applaudet S. Hieronymus in c. 37. Job. v. 18. ubi illa Jobi verba: *Tu forſitan cum illo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt?* Sic myſticè interpretatur: *Cælos Scripturas ſanctas intelligimus, quæ de cælo datæ ſunt hominibus; quarum perpetuitatem ex æris ſoliditate voluit demonſtrare.* Adſtipulabitur quoque S. Bonaventura in Opuſc. de Eccleſ. Hierarc. 4. p. propè medium, ubi latè probat, ſacras litteras in multis ſimiles eſſe cælorum orbibus; inter alia illud preme ad rem opportuniùs noſtram. *Cælum inter omnia corpora magis durabile eſt, & firmum, & ideò eſt perpetuum, quia cùm non ſit compoſitum ex contrariis, non habet in ſe principium diſſolutionis.* Et hoc con-

Necnon in ſacra Scriptura quæ in multis eſt cælo ſimilis.

Job. 37. 18.

S. Hieron.

S. Bonav.